

Irrorat lac, vt sensim in sua nomina vertat:
 Ramosq; frondesq; & eodem semina foetu:
 Antè quater nidum in tignis quàm figat hirūdo,
 Et quater extincti renouet quàm funera nati,
 Tantūm ars ipsa valet, tātūmq; industria pollet:
 Et tantūm infirio fœcundos adiuuat hortos:
 Cui fauet impatiens ocij languentis egestas.

Haftenus Iouianus Pontanus, qui sub citriorum & limoniorum insitione, quasuis alias docto & erudito carmine per occasionem completus est. Vir sanè admirabilis & summa laude dignus: qui rem tam impeditam & difficilem, tam eleganti carmine facilem ac familiarem reddiderit.

Insitionis ope & artificio multa ad stuporem vsque miranda fieri.

CAP. X.

Multa sunt in numerofo illo rerum mundi theatro, miraculi loco habita, quæ vel fortuitus edidit casus, vel ingeniosa hominum effinxit industria, comite labore, & experientia duce. Ex quo rectè scripissè mihi videtur poëta,

*Ipsa nouas arteis, varia experientia rerum,
 Et labor ostendit miseris, vsusq; magister.*

Causa cūm plerosque lateat, illis tātūm miraculi & stuporis ingerit, vt præter naturā, talia euenire censeant. Res ea cūm in alijs multis, tum in arborū insitionibus locū habere maximè solet. Quorum ope & ingenioso artificio, fieri plerunque videmus, vt vna arbor adedò prodigioso spectaculo, diuersi generis varijque gustus, odoris, coloris, &

ris, & facultatis poma, nuces, vuas, flores, & alia ab vno & eodem trunco emergentia, proferat: vt oculis intuentium nihil admirabilius occurrere possit. Quod vt demonstrarem, & exemplis, cum veterum, tum recentiorum confirmem, producā ocu-
 latos testes duos: Pliniū imprimis, virū omni ex-
 ceptione maiorem. Vidimus, inquit insitam arbo-
 rem iuxta Tiburtes Tullias, omni genere pomorum onustam: alio ramo nucibus, alio baccis, aliunde vite, ficis, pyris, punicis, malorumq; generibus, sed huic brevis fuit vita. Producam præterea Ioannem Baptistam à portā Neapolitanum, lib. 2. suæ Magiæ naturalis hunc in modum scribentem: Vnam nouimus arborem, delicias horti nuncupatam, crassitudinis & proceritatis non ingrata: quæ præpingui, riguo & superferente solo confita erat: vt tum vigore, tum humi vbertate, insitis alimentum suppeditaret. Erat trifurca: in vno ramo vnam vnam, & item alteram vineæis vacuam, disciorem & medicatam gerens: quarum altera soporem, altera alui deiectionem moliebatur. Secundus ramus perlicum adferebat ex persico & nuci-persico interuallis pluribus æquè distinctum, absque vlllo osse. Quod si cui inerat, nucleum dulcem vt amygdala dabat: & nunc hominum, nunc animalium faciem ementiebatur pomum, diuersaq; lineamenta demonstrabat. Tertius cerasia exossa, acida, ac dulcia emittebat: adhæc mala aurea. Cortex floribus rosisque confitus erat: fructusq; ipsi debitam magnitudinem superabāt, & alijs dulciores ac odoratiores erāt. Verno tempore efflorescebat arbor, & vltra debitum tempus suos fetus producebat, qui diu in arbore morabantur, & continuæ fecunditatis

R orbem

orbem toto anno ministrabant. Nam per quosdā gradus poma sibi succedebant, & fœtura interpolabatur. Brachia ponderibus inclinata procumbebant: denique sic cœlum fauebat, vt pulchriorem arborem non conspexerim. Hactenus ille, ex quo historiam tam raræ & pulchræ arboris huc proferre voluimus, vt intelligeres,

*Quantum ars ipsa valet, quantumq; industria pollet:
Et quantum insitio fecundos adiuuat hortos:
Cui fauet impatiens ocy labor, optimus artis
Cuiuscunque dator.*

Hæc sunt quæ de insitionibus ex Græcis & Latinis rerum agri doctoribus eximijs in præsentiarum adferre possum. Quæ si parùm accuratè curata quis dicet, curiosius si curabit, curam sibi procurabit, & amicitiam nostram conciliabit.

**FINIS OPVSCVLI INSITIONVM,
ANTONII MIZALDI studio
& diligentia concinnati.**